

1. quod sequitur perceptionem purè intellectualem h. e. eam quæ occasione motus corporei non resultat in mente, ut si quis tacitus apud se meditando de rebus ad animam suam pertinentibus iudicet. 2. quod non habet nexum illum diuturnum, & à prima ætate orientem, cum perceptione sensuali prævia, sed quod nuper demum cum perceptione accuratiore, post diligentius examen, junctum fuit.

3. Primus sentiendi gradus à secundo, secundus à tertio separari potest: primus à secundo realiter, secundus à tertio modaliter distinguitur.

4. Dictum illud: *legere* (primo sensus gradu) & *non intelligere* (secundo gradu) est *negligere*, convenit cum illis quæ supra habuimus: verè non sentimus, nisi sentiamus nos sentire, sensus ubi sejunctus ab intelligentia est, laborem velut insensibilem habet; qui sic audit, ut non intelligat, similis est non audienti.

5. Voluptatem esse motum, minimè absque Platonis est sententia, præsertim si voluptatem in primo gradu accipias, nec aliter potest ad corpus pertinere.

6. Voluptas corporis à voluntate animi
non